

N E C R O L O G I A

† R. P. Aloisius Walter (1859-1932)

*(Prov. Angl.)*

R. P. Aloisius Walter natus est 5 Nov. 1859 Amstelodami ex honesta et vere christiana familia, Patribus nostris amicissima. Filius erat unicus, sed duas sorores natu maiores habuit. Puer frequentabat optimam quan-dam scholam privatam catholicam; etiam arte musica instruebatur, quare postea identidem nostram scholam cantorum regebat et organum in ecclesia pulsabat.

Occasio eius vocationis Redemptoristicae haec fuit. Frater ianitor nostrae domus Amstelodamensis quodam die patri eius proposuit, ut per ferias Aloisium, tum undecim annos natum, ire permitteret Ruraemundam, ut se cum iuvenistis nostris, tum paucis numero, facilius recreare posset. Quo consilio libenter suscepto, Aloisius cum iuvenistis omnes actus communes, preces, recreations, deambulationes... faciebat, omnibus sodalibus multum acceptus. Quodam mane, cum P. Director more suo ad preces matutinas parvam adderet meditationem, de magno vocationis beneficio loquens hanc protulit sententiam S. Alfonsi: « Certus sum omnem Congregationis alumnum regulariter viventem animam suam salvaturum esse ». Quae sententia, utique sub lumine gratiae, adeo pium puerum comovit, ut sibi diceret: « Si ita est, me quoque Redemptoristam fieri praestat ». Brevi post ingenue animum aperuit ipsi iuvenatus Directori, itemque suis parentibus ea de re scripsit. Qui quidem, post alias motas difficultates de consilio eiusmodi praepropere inito, cum Aloisius insisteret, ut optimi christiani suum consensum dederunt et magnae spei filium unicum Deo in sacrificium obtulerunt. Atque ita mense Septembri 1871 Aloisius in iuvenatum Provinciae Hollandicae receptus est.

---

<sup>1</sup> Moniales Scalenses a SS. Salvatore, quibus S. Alfonsus tum exercitia tradebat.

Quas in vita iuvenatus, disciplinae subiecta, invenit difficultates, correctiones etiam propter puerilis animi transgressiones leves, fimo animo sustinuit, semper pree oculis habens S. Alfonsi sententiam de certa salute aeterna, si in Congregatione perseveraturus esset.

Post quattuor studiorum annos iam in novitiatum missus est, et 15 Oct. 1876, nondum 17 annos natus, vota emisit. Postquam per annum in iuvenatu litteras docuit, ut interim aetatis defectui mederetur, venit Wittemium, ubi regularem cursum philosophiae et theologiae per sex annos integros magno cum successu absolvit.

Erat enim confratri carissimo memoria felix et tenax, peculiariter eum in addiscendis variis linguis adiuvans, ingenium quoque facile, lucidum potius quam valde profundum et productivum, et quae facili negotio intellexerat, facile quoque docendo cum aliis communicabat, licet quandoque praceptoris doctrina discipulorum captum superaret. Valetudo corporis, initio satis robusta, postea propter frequentes stomachi infirmitates haud parum labefactata. Nihilominus ad summam senectutem a laborando non desistebat.

De eius indole non est unum iudicium; alii laudant eius conversationem iucundam, lepidam, salibus et anecdotis sparsam, dum alii aiunt sibi displicuisse eius molestam diligentiam seu pedanteriam. Omnes tamen convenient in eo, quod virtus ei fuit solida, pietas non adeo externa, at vere intima, fraterna caritas sincera, conscientia timorata, immo ad scrupulos inclinata. Congregationem ut filius matrem amabat, omnemque suam fortunam satis conspicuam ad sustentanda eius opera impenderat, ita ut diu ante mortem nihil iam possideret. Sic ecclesiae Cortonensi organum et studentatui Provinciae Romanae clavicymbalum dono dedit. Oboedientiam et observantiam erga Superiores impense colebat, ab eorum nutibus plene pendens, et quaelibet officia, variis locis ipsi imposita, laeto semper animo obivit.

Ultimos vitae 43 annos extra patriam suam transegit, tum in Italia, tum in Anglica Provincia. Abhorrens ab omni spiritu nationalistico, Italus cum Italis, Anglus cum Anglis esse studebat et exterarum quoque nationum bonas qualitates videbat ac laudabat. Sed ad vitae eius curriculum revertamur.

Absolutis studiis P. Walter primum missus est Ruraemundam, ut in iuvenatu litteras, praesertim Latinas, doceret. Quia autem ibi Latina syntaxis tum Latino sermone tradebatur, approbantibus Superioribus syntaxim a *Borking* sermone Neerlandico scriptam in Latinum transtulit et publici iuris fecit; quod quidem opus adhuc aestimatur.

Deinde destinatus est Lector philosophiae; sed vix annum Wittemii officio novo functus est, cum autumno anni 1889 a Rmo P. Mauron Romam vocatur. Hic enim statuerat, ut non solum editio critica Theolo-

gliae Moralis S. P. N. Alfonsi pararetur, sed etiam eiusdem opera dogmatica, in Latinum versa, ederentur. Merito enim censebat, sicut opera Patrum Graecorum in linguam Ecclesiae Romanae essent translata, ita convenientissime opera dogmatica S. Fundatoris, utpote Ecclesiae Doctoris, Latine redditia evulganda esse. Demum a. 1903 haec versio duobus grandibus voluminibus Romae prodiit, dicata Rmō P. Mathiae Raus in aureum professionis iubilaeum, qui in epistola sua circulari 29 Novembris 1903 hoc pretiosum donum appellat « bina amplae molis volumina, quae interpretis, de Congregatione deque ipsa Ecclesia optime meriti, diuturnum patiensque studium et felicem testantur industriam ». Ipse P. Walter opus suis sumptibus penes Cuggiani imprimendum curavit; at quanto melius fecissent nostri, si editori magni nominis et ad diffundendos tales libros apto multumque intento opus huiusmodi edendum commisissent! Iure insuper plurimi dolent deesse textum originalem (quis enim doctus vir hodie sola versione contentus sit?) et uberiora prolegomena scientifica. His accedit quod mala fortuna multa centena operis exemplaria postea interierunt, ita ut haec editio, quae interpreti tanto constitit, parum revera contulerit ad opera dogmatica S. P. N. Alfonsi inter theologos magis nota reddenda. Hodie perpaucia exemplaria restant.

Idem prorsus non valet de alio libro Patris Walter, qui *Villa Caserta* inscribitur et quem ipse Rm̄us P. Raus a. 1905 ad aureum nostrae domus generalitiae iubilaeum edidit, in epistola introductoria scribens: « Hunc librum R. P. Aloisius Walter, (cui id munus commiseram) de huius ecclesiae domusque semisaeculari historia egregie conscripsit ». Dubitari merito potest, num in cunctis communitatibus nostris huius vere egregii libri unum alterumve exemplar reperiatur; saltem Romae permulta exemplaria adhuc iacent.

Inceperat etiam P. Walter historiam Provinciae Romanae conscribere, sed prima tantum pars manuscripta conservatur. Duos tamen libellos, praeter allata opera, publici iuris fecit, et anno quidem 1907 « *Saint Alphonse de Liguori et les retraites fermées* (pag. 10 in 8°), qui est N. 10 in serie « Collection de la Bibliothèque des Exercices de St. Ignace » ; bienno post *Praxis amandi* prodiit, scl. aureum opusculum S. P. N. Alfonsi *Pratica di amar Gesù Cristo*, Latine redditum.

P. Walter, etsi per totam vitam fere nulla Instituto servitia reddidit praedicatione sacra et confessionibus excipiendis, nec domi nec multo minus foris, tamen alias egregie de Congregatione meritus est, neque solum opera litteraria, quam commemoravimus, sed etiam multiplici opera domestica et praesertim instructione iuuentutis nostrae. In binis Provinciis, Romana et Anglicā, per multos annos cathedram tenuit, modo in iuvenatu, ad docendam linguam Latinam vel Gallicam, modo in studentatu, ubi praeter dictas linguas tum philosophiam tum theologiam dogmaticam

tum alias disciplinas sacras docuit. De eius magisterio, sicut etiam de indole, alii aliter iudicant.

Ipse defunctus confrater imprimis Anglicam Provinciam velut alteram patriam amabat, in qua stetit annis 1909-1911 et 1919-1932, excepto solo anno 1927-1928, quando Romae fuit ad suam quoque operam conferendam in paranda nova editione critica operum asceticorum S. Alfonsi. In Anglia autem collegio Hawkstone tam amoene sito mirum quantum delectabatur, et permultum dolebat, cum a. 1928, ex Italia redux, non statim eo reverti potuit.

Tamen supremi Numinis benignitas carissimo confratri id concessit, ut in dilecto suo Hawkstone vitae vesperam transigeret. Ibi iam a. 1926 aureum professionis iubilaeum inter plurimas sinceri amoris gratique animi significationes celebraverat; ibidem paulo ante obitum decem sacerdotii lustra completa vidit, quae festivitas a 19 Oct. ad 9 Nov. translata est.

Carus senex d. 8 Augusti eiusdem anni in vicino oppido Shrewsbury chirurgicae operationi seriae multumque molestae se subiecerat. Postea reviviscere videbatur et preelectiones suas laetus instaurabat, verum iam medio mense Decembri iterum male se habere coepit, et d. 20 in idem nosocomium translatus, ibi post biduum vita defunctus est. Quiescit, sicut semper optaverat, in novo coemeterio collegii Hawkstone, primus e familia nostra, et inde, uti firme speramus, ad mirum tubae sonum aliquando gloriosus resurget. — R. I. P.